Annus XII. N. II. November 1898.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

XI.

De lectionibus III Noct. in festo et Octava Anniv. Dedicationis Ecclesiae.

Laurentius Presbyter romanus, qui in comparativo calendariorum studio se placet, intendens animum in calendarium Basilicae Vaticanae, admiratione corripitur quod in festo Dedicationis illius assignatas videt lectiones III. Nocturni ut in die IV. infra octavam, dum in die octava illas notatas cernit, quae in aliis calendariis pro die festo inscribuntur. Eius autem admiratio succrescit, praesentis anni calendario studens, quippe qui dictas diei octavae lectiones mutatas videt in illas, quae die II. infra octavam prostant. Alia deinde calendaria consulens, mirum in modum stupet, quia inter ea, quod easdem lectiones attinet diei octavae Dedicationis, maximum discrimen intercedat. Alia enim notant lectiones ut in die festo, alia ut II. die infra octavam, illa ut in die III, haec ut in die IV, etc. etc. Praeterea, si aliquo die infra octavam actum sit de Dedicatione, quaedam ca-

lendaria pro lectionibus III. Nocturni illas assignant, quae praefatam diem sequuntur, quaedam vero retro abeuntia, illas, quae eamdem diem praecedunt. Interim omnes calendariorum redactores, et Rubricae et Decreto *Minoricen.* d. d. 27 Aug. 1836 ad V. inniti se iactant. Haec Laurentius haud a se explicare valens, *sciscitatur:*

1.° *Quamnam praeseferant antiquitatem et originem in divino officio lectiones III. Nocturni, seu in latina seu in graeca Ecclesia?*

2.° *Quomodo Rubrica et Decretum, de quo in casu, conciliata intelligenda veniant, quod lectiones attinet III. Nocturni in die octava Dedicationis Ecclesiae?*

3.° *Quid de singulis in casu expositis iudicandum, ut Laurentius admirationem deponat?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Antonini Guarniera, habita in Ecclesia Presbyterorum Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam, die 25 Maii 1898; acta Epitome per R.mum Dom. Io. Bapt. M.am Can. Menghini Caerem. Apost. Magistrum.

I. Quamnam praeseferant antiquitatem et originem in divino Officio lectiones III Nocturni, seu in Latina seu in Graeca Ecclesia?

Lectionum usus ab initio in Ecclesia viguit tantummodo in Missa; postea vero, ad monotoniam abrumpen-

dam longiorum et plurimorum Psalmorum, quibus divinum constabat Officium, coeptum est et infra illud Lectiones interserere ; quae praxis cito et libenter a cunctis observata fuit.

Haud plane constat de tempore, quo id accidit. Liturgici auctores tenent id iam usitatum in Romana Ecclesia ante Gregorii Magni pontificatum, uti ex historicis monumentis constat.

Grancolas opportune animadvertit, quod « Mos Scripturas legendi a Synagoga profectus est, ubi singulis Sabbatis capita aliquot ex Lege et Prophetis legebantur. Idem omnibus retro saeculis Liturgiae tempore factum est ; atque vetus et novum Testamentum praelegebatur, populoque explicabatur ».

Lectiones, quae priores locum in divinis laudibus obtinuerunt, tantum de Sacra Scriptura selectae fuere ; id et ad nostra usque tempora verificatur in ferialibus Officiis extra Quadragesimam, Vigilias et Quatuor Tempora. Cum autem pluribus constare coepit divina Psalmodia Nocturnis, et Sanctorum Patrum Sermones materiam praebuerunt Lectionum, et Novi Testamenti paginae tertium Nocturnum adornarunt. Nunquam vero Evangelium legebatur, quippe quod uni Missarum tempori reservabatur. Huius moris vestigium etiam hodie servatur tribus postremis Maioris Hebdomadae diebus : et revera Feria V in Coena Domini legitur in tertio Nocturno de Epistola prima sancti Pauli Apostoli ad Corinthios ; Feria VI et Sabbato Sancto de Epistola eiusdem Apostoli ad Hebraeos.

At non multo post tempore, Evangelii Lectiones introductae in tertio Nocturno fuerunt. Scimus enim sub septimo saeculo, iuxta Meratum, ordinem tertii Nocturni fuisse immutatum, institutumque ritum legendi initium tantummodo Evangelii diei, ac deinde Homiliam Sancti

alicuius Patris, nempe eiusdem Evangelii explanationem; idque ad instar Lectionum secundi Nocturni, in quibus antiquitus id explicabatur, quod in primi Nocturni Lectionibus praelectum fuerat. Grancolas ait regulam S. Benedicti originem dedisse huiusmodi ritui. At, observat Meratus, sanctus Benedictus id tantum praecepit, ut Abbas, Hymno *Te Deum* expleto, lectionem Evangelii perlegeret; nullam tamen mentionem fecit de legenda post illam Homilia, quam neque impraesenti Benedictini legunt.

Quod saeculo septimo mos de quo loquimur, instauratus fuerit, eruitur ex Codice Homiliarum, quem Paulus Diaconus in ordinem redegit Caroli Magni iussu. Et sane in quadam eiusdem Caroli Epistola, iam supponitur introductus ritus Homilias legendi in Officio. Hinc tot Homiliarum Codices, qui una collecti sunt. Refert Batiffol titulum specialem unius ex dictis Codicibus IX saeculi manuscriptis, fortuito inventis in Bibliotheca Montispessulani, cuius en verba : « Omelia sive tractatus beatorum Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Fulgentii, Leonis, Maximi, Gregorii et aliorum catholicorum et venerabilium Patrum legendae per anni circulum (Office Romain du temps de Charle Magne, *Chap. III, pag. 97, I Histoire du Breviaire Romain*) ». Animadvertendum cum moderno Mazarin, totum liturgicum Officium, ab initio, Psalmorum recitatione, Sacrae Scripturae lectione et Sermone constitisse, haec autem omnia praecipuum excellentioremque actum, consecrationem scilicet ac proinde *communicationem fractionis panis* praecessisse, concomitata et sequuta fuisse. Temporum vero successione, horum actuum complexus quid unum constituentium separari coepit ; unde et Missae appellatio et Officii, seu Horarum canonicarum, duorum videlicet actuum nunc taliter distinctorum, ut amplius una simul confundi nequeant. Ex utriusque actus

partibus sunt quaedam inter se similes : Psalmi in Officio integri, in Missa fere semper obtruncati seu tantummodo incoepti, uti ad Introitum, Graduale, Offertorium; Epistola in Missa, Lectiones primi seu unici Nocturni de Sacra Scriptura in Officio ; Evangelium, cuius tractus lectio integra in Missa, ad Horas breviter ante homiliam indicatum. Homilia, quae ad Officii Evangelium nunc legitur, pars olim fuit liturgicorum conventuum, uti et impraesenti interdum est. Haec latinam respiciunt Ecclesiam.

In graeca Ecclesia dici potest, totam Officii structuram in tres praecipuas dividi stationes saltem cum publice recitatur in Monasteriis diebus dominicis et festis. Statio, a stando dicitur, eo quod, ut ait Grancolas, Graeci *bini stantes recitant, dum ceteri sedent*. Praeter omnia illa, quae Officii recitationem praecedunt, Trisagium nempe, invitatorii instar, cum aliquibus Psalmis et tropariis, statio prima sex constat Psalmis, quinque interdum, tropariis item exceptis. Altera sequitur statio sex aliis Psalmis constans, nec non aliis tropariis. In his duabus Stationibus Graeci Lectiones non habent, dicunt tamen in aliquibus horis minoribus. Tertia autem Graecorum Statio Psalmis caret, sed Canticis constat, Benedictinorum Camaldulensium more, qui dum sex Psalmos in unoquoque ex prioribus Nocturnis recitant, in tertio tria canunt Cantica. Homiliam Graeci post tertium Canticum ponunt, quod cum latina Ecclesia eos concordes facit ; unde concludendum, easdem evolutiones, quas in Occidente, et in Oriente locum habuisse.

II. Quomodo Rubrica et Decretum, de quo in casu, conciliata intelligenda veniant, quod lectiones attinet III Nocturni in die Octava Dedicationis Ecclesiae ?

Proderit textum ipsum Rubricae referre, circa Octavam (*Tit. VII, n. 1*) : « Officium de Octava fit cum tri-

bus Nocturnis, novem scilicet Psalmis et novem Lectionibus (exceptis Octavis Paschae et Pentecostes, in quibus fit cum uno Nocturno, ut suis locis ponitur), et omnia dicuntur sicut in die Festi, praeter Lectiones, quarum primae tres semper sunt de Scriptura occurrente in Officio de Tempore, praeterquam infra Octavam Assumptionis beatae Mariae, in qua singulis diebus positae sunt Lectiones propriae de Canticis Canticorum ; aliae Lectiones secundi et tertii Nocturni dicuntur quae infra Octavam positae sunt. Infra Octavam vero Patroni, vel Titularis Ecclesiae aut alterius Festi, quod in aliquibus Ecclesiis consuevit cum Octava celebrari , si apud illas Ecclesias non habentur propriae et approbatae Lectiones pro secundo et tertio Nocturno, infra Octavam repetantur Lectiones positae in Communi Sanctorum si de Sanctis fiat Octava, alioquin Lectiones diei Festi ».

Rubrica specialis Breviarii, in Communi Octavae Dedicationis, hoc tantum habet : « Omnia ut in die, praeter Lectiones II Nocturni ». Uti patet, ex Rubrica manifestum fit, Lectiones III Nocturni esse debere *ut in die festi*, quando propriae non assignentur pro die octava. In casu nostro, scilicet in Octava Dedicationis, propriae Lectiones in III Nocturno deficiunt, quamvis in unoquoque e praecedentibus diebus inveniantur ; hinc dubium exortum an Lectiones III Nocturni legendae sint *ut in die festi* etiam quando lectae non fuerint Lectiones propriae de infra Octavam. S. Rituum Congregatio in una *Minoricen.* die *27 Augusti 1836*, ad V dubium his verbis expressum : « Cum diversa opinentur circa designationem lectionum tertii Nocturni in Octava Nativitatis S. Ioannis Baptistae, et in die pariter Octava Dedicationis Ecclesiae, siquidem alii dicant sumendas esse de secunda die, alii de quarta die infra Octavam, quaeritur quae certa indubiaque regula

servari debeat ? » responderat : « Servetur Rubrica peculiaris Breviarii Romani, adeo ut quando nullae Lectiones infra Octavam sint lectae, in die Octava legantur ut in secunda die ; quando vero omnes fuerint lectae, in Octava erunt ut in Festo ». Quod cum Rubrica concordabat, uti sese Decretum ipsum exprimebat, quia illa praecipit repetendas illas de festo, supponens lectas ceteras diebus praecedentibus. Decretum aliud, in *Aurien.* d. d. 27 Februarii 1847 ad III et IV docebat : « An in Octava S. Ioannis Baptistae et in die Octava Dedicationis Ecclesiae repetendae sint Lectiones tertii Nocturni ex die festi, ut Rubrica Breviarii observat, etiam quando non recitatae fuerint Lectiones, quae in Breviario habentur infra Octavam ? Servetur peculiaris Rubrica ».

Haec duo Decreta quamvis expuncta sint e nova authentica Collectione, tamen quoad sensum in suo robore perseverant, cum in Decreto diei 2 Iunii 1883 in *Cuneen.* ad 14, quod in praefata Collectione retinebitur, confirmentur et opportunius exponantur. Illud autem sic sonat : « (In die Octava Dedicationis Ecclesiae) legendae Lectiones tertii Nocturni quae primae infra Octavam omissae fuerunt, quando vero omnes lectae sint, in Octava erunt ut in festo ». Ex hoc Decreto clarius exponitur agendi ratio omni in casu ; cum enim fieri posset, ut aliquae tantum Lectiones infra Octavam lectae fuerint, dubium oriri poterat, quoad modum Lectiones ponendi. Etenim si omnes lectae fuerunt, in Octava erunt de festo ; si nullae lectae fuerunt, erunt de secunda die ; si vero aliquae tantum lectae fuerunt, erunt de prima die omissa. Oritur nunc difficultas, an si aliquo in casu, quia videlicet in die festo propriae assignantur Lectiones, omissae fuerint illae de Communi, hae potius quam aliae sequentibus diebus omissae sumendae sint. Rubrica docet simpliciter : *Omnia ut*

in die : Decretum in *Cuneen.* : *Quae primae omissae fuerint* : nunc autem quae sunt primae omissae in casu, nisi illae de die ? Ergo ex Rubrica et Decreto sumendae essent Lectiones de die festo. Hoc tamen pluribus non arridet considerant enim verba Decreti : « Quae primae *infra octavam* omissae fuerint », tamquam excludentia diem festum.

III. Quid de singulis in casu expositis iudicandum, ut Laurentius admirationem deponat ?

a) Quoad Lectiones III Nocturni in festo Dedicationis Basilicae Vaticanae, assignatas ut in die IV infra octavam, dicendum considerandas esse tamquam festi proprias, et non de Communi sumptas.

b) Quoad Lectiones diei Octavae, notatas ut in aliis Calendariis pro die festo; iuxta sententiam alterius ex Censoribus supra relatam, optime actum fuerat, erant enim priores omissae de Octava in Communi existente ; iuxta alium vero sentiendi modum bene facta est immutatio in Lectiones de secunda die.

c) Varietas assignationis Lectionum, ut in III die IV, etc. aut a legitima auctoritate emanavit, et tunc dicenda est optime ex peculiaribus rationibus facta ; aut a privata, et tunc iuxta Rubricam et Decretum reformanda.

d) Cum de aliquo die infra Octavam actum sit, si standum est obvio Decreti superius citati sensui, quod fieri certo debet, Lectiones diei festi sumendae sunt ex die primitus omissa, non autem ex omissa post diem celebrationis de infra octavam. Nullimode vero probandus modus retrogradus.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *Ex N. N.* **De lectionibus I^mi Nocturni in quodam singulari casu.** In hac dioecesi festum S. Raymundi de Pennafort perpetuo celebratur die 18 Februarii, idcirco saepe in Quadragesima occurrit. Quaeritur ergo quae in hoc casu lectiones legendae sint in 1° Noct., an *Beatus vir* an potius *Iustus si morte*. Ephemeris « Il Monitore Liturgico » quae Maceratae evulgatur, docet (Num. 15, 1 Agosto 1898, pag. 467) legendas esse lectiones *Iustus si morte*. Rectene?

Resp. Regula generalis est, Lectiones I^mi Nocturni, quando propriae vel de Scriptura occurrente non habentur, sumendas esse de Communi. Sed heic difficultas facile oriri potest; nam in aliquo communi plures habentur Lectiones pro I^mo Nocturno. Quales ergo sumendae? Eritne in singulorum arbitrio alteras prae alteris eligendi? Nequaquam; sed sequendae sunt normae quas S. R. C. dedit. Adnotare tamen cogimur praedictas normas in aliquibus Decretis contentas usque nunc non satis claras extitisse. Primum quod erat in *Namurcen.* d. d. 23 Maii 1835 ad 4 edicebat: regulam pro Lectionibus I^mi Noct. sumendam esse ex Lectionibus quae in III Noct. leguntur (1). Alterum in *Einsidlen.* d. d. 23 Iulii 1836 ad 21 statuebat legendas esse Lectiones de Communi « quae magis sunt accommodatae

(1) In nova Collectione legitur absque dubio 4, sub Num. 2839, die vero et anno 11 Septembris 1841.

virtutibus et rebus gestis Sanctorum, de quibus fit Officium (1). » Tertium denique in *Calagurritana et Calceaten.* d. d. 13 Februarii 1892 ad 8 regulam sequentem dabat, legendas esse Lectiones habita ratione ad aetatem. Si haec diversa responsa inter se conferantur, statim apparet aliqua obscuritas inter ea ; nam Lectiones quae in tertio Noct. legendae sunt, uti statuitur in primo Decreto, esse possent quae *primo loco* in Communi positae sunt, nempe ex Evangelio *Sint lumbi vestri praecincti;* nihilominus pro I^mo^ Noct. legi non possent Lectiones *Iustus si morte*, quia habita ratione ad aetatem, uti in tertio statuitur, magis accomodatae essent quae ponuntur *secundo loco*, nempe *Beatus vir*. Quod evenit in casu nostro. Idcirco si scriptor Ephemeridis supracitatae haec animadvertisset, non scripsisset tam secure legendas esse Lectiones *Iustus si morte ;* sed rem sub dubio reliquisset, nisi illi notum esset Decretum in *Namurcen.* ad 4 e nova Collectione expunctum esse, et tunc solutionem contrariam dedisset.

Nunc autem omnis obscuritas inter praefata Decreta e medio sublata est, cum, uti innuimus, Decretum in *Namurcen.* ad 4 e Nova Collectione expunctum sit, et alia duo in eamdem sententiam conveniant. Eapropter sententia citatae Ephemeridis tanquam falsa habenda est, atque in praesenti casu et in aliis similibus contraria tenenda est, nempe: in I^o^ Nocturno sumendae sunt Lectiones de Communi quae magis accommodatae sunt virtutibus et rebus gestis Sanctorum de quibus fit officium, habita ratione ad eorum aetatem, nulla vero habita ratione ad Lectiones quae in III Nocturno leguntur (Vid. *Ephem. Liturg.* an. 1892 pag. 460 et seqq.).

(1) In nova Collectione legitur sub dubio 17, die vero 5 Maii et Num. 2319.

II. *E Monte Callerio.* **De Absolutione praeceptiva vel facultativa post Missam de requie.** Absolutio post Missam de requie est ne semper praeceptiva ?

Resp. Negative, sed *praeceptiva* est pro die obitus, *facultativa* pro aliis diebus etsi privilegiatis. Constat ex Missali Romano, maxime quod pro defunctorum Missis agendis inservire solet. Recentior Editio (tertia post typicam) loquitur in genere de Absolutionis Ritu post Missam pro defunctis, et Rubrica sic se exprimit : « Finita Missa, **si facienda est Absolutio,** Celebrans retrahit se etc. » Ergo aliquibus in casibus Absolutio indubie fieri potest vel omitti. Atqui omitti non potest in exequiis praesente corpore ; quia Rubrica hanc libertatem non tribuit, cum dicat: « Finita Missa, Sacerdos, deposita casula etc. accedit ad feretrum etc. etc. ». Manet ergo ut libera sit in exequiis, absente corpore. Neque dicas, Rubricam aliam eodem ferme modo se exprimere cum agit de exequiis, absente ac praesente corpore ; quia ibi dictam Absolutionem fieri supponit, et Ritum tantummodo praescribit.

Eadem veritas constat ex modo se exprimendi Ritualis Romani. Etenim agens de exequiis praesente corpore, haud conditionate loquitur, sed absolute, dicens : « Finita Missa, Sacerdos, deposita casula . . . accipit pluviale etc. (*Tit. VI, cap. 3, n. 7*) ». E contra agens de officio agendo in exequiis absente corpore defuncti, non absolute, sed conditionate loquitur dicens : « Si faciendae sint exequiae absente corpore . . . Celebrans deponit manipulum et planetam, accipit pluviale etc. etc. (*Tit. VI, cap. 5, n. 1.*) ».

Confirmatur auctoritate De Herdt, qui quaerit : « An Absolutio post Missam, absente corpore in exequiis, aliisque diebus supradictis (*nempe diebus III, VII, XXX et anniversario*) fieri debet de praecepto ? ». Respondet autem : « Negative, ex lege ecclesiastica, iuxta Rubricas Missalis,

quae dicunt : *Finita Missa, si facienda sit Absolutio etc.* Qui loquendi modus obligationem non supponit (*Pars 6, n. 264*) ». Quod ceterum ad amussim respondet Decreto *Nullius Dioecesis* n. **1322** (2345) ad 6, in quo definitur: « Non ex *obligatione* sed *ad arbitrium* facienda est absolutio in anniversario defunctorum ». E contra praefatus auctor alibi notat : « Corpus igitur solitis caeremoniis et precibus ad Ecclesiam deferendum est, eo in Ecclesia deposito, Absolutio facienda est etc. (*Pars 6, n. 262*) ».

Itaque probatum credimus, et praeceptivam esse Absolutionem post Missam defuncti, praesente corpore, et facultativam tantum eodem corpore absente. Nihilominus hoc ultimum intelligas, nisi aliunde Absolutionis praeceptum obliget, puta ex eleemosyna accepta.

III. *E Ferraria.* **De Missis privatis de requie, sine cantata, pro die obitus.** Alicubi usus invaluit, ut de sero cadaver directe deferatur ad coemeterium, in cuius Ecclesia fit associatio vel aspersio : quandoque ducitur in Ecclesiam, in qua post associationem defertur ad coemeterium. Postridie, sine exequiis, sine officio defunctorum, sine Missa solemni vel cum cantu, plures dicuntur Missae privatae : quid de eiusmodi consuetudine ?

Resp. Praenotamus cum Rituali Romano : « Sacras caeremonias ac ritus, quibus ex antiquissima traditione et Summorum Pontificum institutis, sancta mater Ecclesia catholica in filiorum suorum exequiis uti solet, tamquam vera religionis mysteria christianaeque pietatis signa, et fidelium mortuorum saluberrima suffragia, Parochi summo studio servare debent, atque usu retinere (*Tit. VI, cap. 1. n. 1*) ». Verum quae in funeribus consuetudines legibus opponuntur, quas S. R. C. iubet, ipsaque consequenter Ecclesia, neque ab eadem Ecclesia derivant, neque a Summorum Pontificum Institutis ; ut proinde uti abusus considerandae atque emendandae sint.

His praenotatis, animadvertimus, consuetudinem asportandi cadaver de sero ad coemeterium legibus liturgicis non cohaerere. Exigit enim Rituale, *ut Missa praesente corpore defuncti, pro eo celebretur*; idque antiquissimi esse instituti idem codex advertit. Quod profecto supponit, cadaver non ad coemeterium esse directe deferendum, sed ad Ecclesiam, ubi dicta Missa celebranda est. Unde notat cl. De Herdt: « Exequiae et sepulturae ante meridiem fieri debent, ut Missa praesente corpore celebrari possit (*Pars 6, n. 235, III*) ». Arroges aliam legem, quam S. C. Concilii emanavit, licentiam nempe requiri Ordinarii loci, ut cadavera noctu deferantur (*Nocarien: Funer. et Iuxium Dub. 6, 15 Mart. 1704*). Sed gravior est inordinatio altera, quae ex tali consuetudine necessario sequitur, ut videlicet nunquam Missa celebretur praesente cadavere. Hanc enim non solum lex Ritualis exigit, sed in grave damnum redundat fidelis defuncti dictae legis infractio. Neque enim cadaver est praesens in Ecclesia, neque ipsa Missa dicitur, sed differtur in sequentem diem.

Denique ingravescit inordinatio ex alia recenti lege, qua Ecclesiae, de quibus in casu, abutuntur. Quia ex casus expositione nullus videtur respectus haberi ad ritum, qui Missas privatas prohibere potest; sed generatim Missae privatae celebrantur, sive semiduplex, qui eas permittit, occurrat, sive duplex, qui eas districte interdicit. *Districte* dicimus, cum plura extent, Generalia Decreta, a Summis Pontificibus confirmata, quae gravioribus se exprimunt verbis, ex quibus gravis et indubia illa observandi obligatio resultat. Equidem fatendum, dicta Decreta mitigata fuisse ex recentiori iure; sed admittendum est quoque, ius istud recentius dictas privatas Missas non permittere, nisi solemnis, aut cantata saltem, locum habeat. A qua conditione si abstrahas, ius antiquum et grave viget adhuc (*Roma-*

na, 12 Ianuar. 1897 ad 3). Praeterea, quamvis dictae Missae, solemni vel cantata posita, permittantur in die, aut pro die obitus, dummodo non ultra biduum ab obitu vel depositione; nihilominus haec relaxatio iuris in gratiam defunctorum fidelium facta est, non in vivorum commodum aut placitum defunctorumque damnum. Hoc autem ultimum in casu videtur comprobari. Quia nonnisi ex placito aut commodo vivorum, ex generali consuetudinis lege cadavera de sero asportantur ad coemeterium, et suffragia praecipua, quae in Missa consistunt, in diem sequentem transferuntur.

Additur in casus expositione, solas fieri privatas Missas, sine cantata et sine officio defunctorum. Id forte ex eo derivat, quod iudicetur Missam privatam aeque animabus defunctorum iuvare ac solemnem vel cantatam, et magis quam psalmorum recitationem. Rei caput non attingimus, quam in summa veram non diffitebimur: sed maximi momenti animadversionem exhibemus. Quamvis Missa potissimum constituat in animarum defunctorum levamen suffragium, spiritus fuit semper et est piae Matris Ecclesiae, ut multis variisque modis defunctos sublevare studeat. Hinc campanarum sonitus, eleemosynae in pauperes, cereorum accensio, adhibitio thuris, sacrae Indulgentiae, plures institutae peculiares ab illa preces, communiones, psalmorum recitatio et cantus, denique Sacrificium altaris. Quare? Quia Ecclesia militans iurisdictione non gaudet in defunctos, et omnia quae pro ipsis agit, a Dei misericordia dependent ut illis applicentur. Ea propter et multiplicat et variat suffragia pro sua sapientia et pietate, ut prosit quantum potest illis, quibus qualia ex tot suffragiis diversis velit Deus applicare, non novit. Qui ergo suffragia limitat, non solum quod quantitatem, sed etiam quod qualitatem attinet, non agit iuxta Ecclesiae intentionem.

IV. *Ex Borna in Saxonia.* **De Missa conformi Calendario loci, non Celebrantis.** In parochia N., Abbatiae cuidam incorporata a pluribus saeculis, extat Sororum religiosarum domus, cuius specialis cura ab Ordinario concredita fuit Rectori praefatae paroeciae, qui est dictae Abbatiae monachus. Cum in sacello religiosae illius domus Missam quotidie faciat alter ex monachis, quaeritur: an Missam ordinare debeat iuxta Calendarium suum, seu Abbatiae aut Ordinis, an iuxta Calendarium dioecesis, nam Sorores praedictae proprio Calendario non gaudent?

Resp. Ratio dubitandi, adm. Rev. consulens exponit, est, quia paroecia illa ad Ordinem seu ad Abbatiam pertinet et censenda est stricte regularis. Domus autem Sororum praedictarum, illiusque proinde sacellum, pertinere videtur ad Ecclesiam parochialem: ut consequenter calendarium paroeciae seu Ordinis videatur dici posse Calendarium loci. Ex alia parte, domus illa Sororum intra limites dioecesis B. sita est, adeo ut eius sacellum ad dioecesim eamdem videatur pertinere. Consequenter Calendarium loci pro dicto sacello esse videtur Calendarium dioecesis.

Sed vero animadvertendum primo credimus, incorporationem domus Sororum religiosarum Abbatiae, non eo sensu intelligi posse, ac si iisdem Sorores et monachi subiacerent regulis, iisdemque praelatis. Quia, uti ex dubii expositione patet, dictae Sorores ad alium Ordinem pertinent, suisque reguntur normis, absque ulla dependentia ab Abbatia. Insuper eaedem Sorores Calendarium monachorum non sequuntur, imo et sequi non possunt; ut si aliquo uti debeant, illud indubie sit quod dioecesis est proprium. Incorporatio igitur, de qua in casu, hoc tantum sensu accipi potest, quod nempe, cum illarum cura Rectori parochialis Ecclesiae sit ab Ordinario commissa, idem Rector pro tempore evadit earum Cappellanus quo-

dammodo perpetuus. Cum autem dictus Rector sit monachus ad Abbatiam pertinens, ipsa domus ab eo spiritualiter gubernanda, incorporata dicitur ipsi Abbatiae, ad quam Rector, seu monachus pertinet.

Sed hoc non sufficit, ut domus Sororum religiosarum locum constituat Abbatiae proprium, neque consequenter ut Calendarium Abbatiae seu Parocciae, quod idem est in casu, dici queat Calendarium domus earumdem Sororum. Sed potius dicendum, tam Abbatiam, quam domum praefatam pertinere ad dioecesim B.: ut, privilegio exemptionis secluso, utraque eidem dioecesi subdita sit. Ex quo sequeretur, et Abbatiam et domum teneri *per se* ad Calendarium dioecesis. Sed Abbatia a iurisdictione episcopali exempta est, et illius monachi proprio Calendario utuntur: quae ad privilegium pertinent. At domus Sororum religiosarum eiusmodi privilegiis non fruuntur; vel si fruuntur privilegio exemptionis, non possident privilegium Calendarii proprii, ergo ad sequendum tenentur Calendarium dioecesis. Concludamus igitur oportet, Missam non esse, ut nobis videtur, ordinandam iuxta Calendarium paroeciae seu Abbatiae, sed iuxta Calendarium dioecesis.

V. *Ex eod. loco.* **De facultate agendi Missas in Oratorio domus religiosae.** In parochia, in qua habitamus et quae nullo modo ad Abbatiam spectat, Communitas nostra possidet domum ab Abbatia omnino separatam, imo sat longe distantem, in qua habetur amplum et nitidum sacellum, in quo aguntur hebdomadarii conventus Congregationis B. M. V. *in Abbatia nostra* canonice erectae, cui Congregationi unus e nostris moderator praeest. Insuper ibi habentur plures aulae, in quibus Congregationis socii et aspirantes saepius per annum recreationis causa conveniunt. Nulli ibi patet ingressus nisi praedictis iuvenibus; ad alios usus supra dicta domus non adhibetur.

nisi quod diebus Dominicis unius alteriusve aulae usus benevole concedi soleat membris Conferentiae a S. Vincentio a Paulo nuncupatae. Iam autem quaeritur an nobis liceat, *sine licentia Ordinarii loci*, in saepius dictae domus sacello, utique ab Abbate nostro benedicendo, ianuis clausis, pro Congreganistis B. M. V. tantum, saltem aliquando celebrare Missam; et si ita: an ibi satisfaciant Congreganistae praecepto audiendi sacrum? Ratio dubitandi est, quia videtur esse domus regularis, utpote omnino spectans ad Abbatiam, quamvis nullus nostrorum, nec monachus nec conversus in illa domo habitet.

Resp. Unica dubitandi ratio esset, quia domus, de qua agitur, nullius est in usu monachorum, saltem quotidiano. At quaerimus, utrum eiusmodi domus adeo ad monachos pertineat, ut ad usum laicorum non sit locata, in usumque monachorum, saltem aliquando, inserviat? Sed ad quaesitum responsio negativa quod locationem in usum civilem saecularium, et affirmativa quoad usum, aliquem saltem, pro monachis certa est, et patet ex expositione Dubii. Atqui nobis non constat huiusmodi limitatio, ut nempe in domo religiosae Communitatis approbatae, possint Missae celebrari, in iisque ab omnibus et quibuscumque praecepto audiendi sacrum satisfieri, si sit in quotidiano monachorum usu: non possit, si eiusmodi usus aut limitatus sit, aut nullus.

Quo posito, ad rem referimus doctrinam cl.mi Gattico (*Cap. XVIII, n. 6*): « In privatis Regularium approbatis Oratoriis libere a quocumque etiam extraneo Sacerdote Missae celebrari possunt, quia cum Locus idoneus Sacrificio evaserit, etiam pro omnibus Sacerdotibus ex sui ratione idoneus perseverat. Haec quippe restrictio, aliaeque plures solum in Oratoriis privatis domus adiunguntur, quae minore beneficii largitate a RR. Pontificibus prose-

qui consueverunt. Nullam pariter dierum festorum exceptionem patiuntur eadem Regularium Oratoria, ac quemcumque numerum Missarum pro singulis diebus admittunt ; quoniam limitationes huiusmodi nullibi reperiuntur pro illis Oratoriis stabilitae, sicut nec pro privatis Episcoporum Oratoriis praefixae fuerunt, aut pro caeteris Locis piis apponi solent. Denique ab omnibus adstantibus Sacrificio peracto in privatis Regularium Oratoriis praeceptum Missae audiendiae impletur ; quia cum nulla personarum restrictio statuitur, et alias Locus idoneus Missarum celebrationi evasit, nihil deest ad eiusdem praecepti executionem ; ad quam tantummodo requiritur, ut Missa diebus festivis eo Loco audiatur, quem legitima auctoritas idoneum reddidit Missis faciendis absque ulla adstantium limitatione, ut superius de Episcopalibus Oratoriis expendebamus. Haec omnia praxi et consensu ferme communi Scriptorum firmata uberius recenti Constitutione Clementis Pp. XII infra confirmabimus. Interim vero fateor me ignorare, qua ratione opus esse dixerit Passerinus (*Tom. 3 de Statu Hom. qu. 189, art. 10, num. 982*) inspicere privilegia Regularium, utrum expresse permittant extraneis Sacerdotibus sacrificare in illorum privatis Oratoriis? Quorsum enim oportebat vel de adstantibus, vel de Sacerdotibus sacrificantibus specialem mentionem fieri in illis privilegiis, quae post Concilium Tridentinum eo fine tantum aliquibus Regularibus concessa fuerunt, ut sine ulla Ordinariorum licentia privata Oratoria in ipsorum Domibus erigere, et ad divina Mysteria celebranda approbare licite possent ? Si Religiosae Domus comprehenderentur in Decreto Tridentini Concilii Sess. 22, tunc profecto inspici deberet privilegium Apostolicae Sedis, an in eo facultas celebrandi in Oratoriis privatis solum ad Sacerdotes Regulares ut ad Domesticos Monasteriorum restringeretur ;

aut etiam ad omnes Sacerdotes ac adstantes extenderetur? Ita plane observatur in privilegiis, quae pro Oratoriis privatae Domus per se sunt aptae habendi Oratorium, si ab eo, ad quem pertinet, approbentur ; ac proinde, ubi approbata fuerint, non egent speciali facultate, per quam omnes Sacerdotes in illis licite ad celebrandum admitti valeant ; atque omnes adstantes praecepto Ecclesiastico Missae audiendae satisfaciant. Unde licet in privilegiis praedictis hae facultates non exprimerentur, sua sponte consequuntur ex eo quod Oratoria in Locis Piis erecta sint ». Ergo, a fortiori, monachi ipsi, ad quos domus, de qua in casu, pertinet, Missas celebrare possunt, sine ulla Ordinarii facultate, prout illis libuerit.

VI. *E Curenna.* **De qualitate tertiae Orationis in Missa de infra octavam, alia octava occurrente.** Apud nos S. Michael Arch. recolitur die 3 Octobris sub ritu duplici 1. cl. cum octava, est enim patronus. Sed et festum SS. Rosarii fit cum octava, ut aliqui dies infra octavam utramque occurrant. Missa, in casu dictae occurrentiae, celebratur de patrono ; sed quaestio oritur super 3. Oratione; an scilicet de Spiritu Sancto sit dicenda, an *Ecclesiae* vel pro Papa. Dies enim de infra octavam S. Michaelis favet 3. Orationi *Ecclesiae* vel pro Papa ; sed dies de infra octavam Deiparae favet 3. Orationi de Spiritu Sancto : quaenam dicenda ex duabus ?

Resp. Lex est Rubricae (*Tit. IX, n. 9*), ut infra octavas, quae non sunt Paschae aut Pentecostes, dicantur tres Orationes, una de die, altera de S. Maria, tertia *Ecclesiae* vel pro Papa. Verum infra octavas S. Mariae secunda Oratio dicitur de Spiritu Sancto, tertia *Ecclesiae* vel pro Papa. In casu autem sumus infra octavam, quae neque Paschae est neque Pentecostes ; ergo tertia Oratio dicenda videtur *Ecclesiae* vel pro Papa. Sed sumus etiam infra o-

ctavam Deiparae ; ergo, cum Oratio de Spiritu Sancto dici nequeant secundo loco, quem occupat illa SS. Rosarii, dicenda videtur tertio loco. Sed contra hanc rationem praevalet altera de festo quod celebratur prae alio festo Deiparae. Namque octava de quo festum agitur non est Deiparae, sed S. Michaelis : ut et Missa de illo, non de ista fiat. Ergo octava Deiparae pro casu nostro attendenda non est, sed S. Michaelis patroni. Ceterum, Oratio de Spiritu Sancto tunc alteri de Deipara secundo loco substituenda est, quando prima de octava ipsius Deiparae dici debet : quod non comprobatur in casu, quia prima Oratio non est de Deipara, sed de patrono. Hunc ipsum casum refert cl. De Herdt, quidque sit in eo agendum explicite docet. Tres ponit casus, quorum secundus est iste, de quo agimus, quem sequenti modo resolvit : « In occursu duarum octavarum, Orationes dicuntur de octava digniori. Ita in Missa de octava patroni principalis infra octavam Nativitatis B. M. V. 2.ª Oratio de octava B. M. V. et 3.ª *Ecclesiae* vel pro Papa (*Pars 1. n. 78, 2.°*) ».

VII. *E Labaco.* **De tempore, quo incensandus est Subdiaconus in Missa Pontificali.** Quando in Missa pontificali, in qua Episcopo assistunt Canonici, thurificandus est Subdiaconus ? immediate post Diaconum assistentem secundum, ante Canonicos in Choro ? an post Canonicos in choro incensatos, postquam reversus est Diaconus Missae ad altare ?

Resp. Quaestio fieri quidem potest, an Diaconus thurificare debeat Subdiaconum postquam totum incensaverit chorum, an postquam incensaverit tantum praecipuos de choro, sed non omnes. Nam, uti animadvertit cl. Schober (*Caerem. Missar. solemn. et Pontificalium art. IX, cap. 6, n. 11, nota 12*), Caeremoniale nihil dicit de incensatione Subdiaconi ; sed Missale praescribit, ut post incensatio-

nem chori Diaconus postremo Subdiaconum patenam tenentem thurificet *(pars II, Tit. 7, n. 10)*. Tam nihilominus praefatus auctor, quam De Herdt, aliique omnes expositores caeremoniarum circa Missam pontificalem, docent Diacono thurificandum esse Subdiaconum post incensationem chori. Non ergo post Diaconum assistentem secundum, ante Canonicos, sed post thurificatum chorum, in quo sunt Canonici, Subdiaconus a Diacono thurificandus est. Sane Caeremoniale praescribit *(Lib. I, cap. 9, n. 5)*, Diaconum Evangelii, post thurificatum Episcopum, accedere *ad thurificandum Dignitates et Canonicos*. Item, alibi dicitur *(Lib. I, cap. 23, n. 15)*, sequenti ordine res et personas esse thurificandas, nempe Oblata, Altare, Episcopum, *deinde Dignitates et Canonicos :* quod et alibi repetitur (1). Eapropter cum praecitato Schober, et cum aliis omnibus expositoribus Rubricarum concludendum est : « .... Diaconus Evangelii thurificat Presbyterum assistentem, deinde primum tum alterum Diaconum, assistentem *(qui omnes vel dignitates sunt, vel loco earum agunt)*. Postea accedit ad chorum et incensat Dignitates, Canonicos, et ultimo, ad altare reversus, Subdiaconum Epistolae *(Loc. cit. n. 11)* ».

VIII. *E Zupanja in Slavonia.* **De festis translatis num sint secundaria.** Quando festum aliquod perpetuo vel accidentaliter transfertur iuxta Rubricarum normas, potestne eo ipso ut secundarium haberi, cum die sua vel natalitia vel quasi natalitia non recolatur ?

(1) Non mirandum, quod Caeremoniale nominare hic omittat Presbyterum et Diaconos assistentes, quippe qui velut unum corpus constituunt cum Episcopo cui propius assistunt : corpus, inquam, quod efformant caput, seu Episcopus et assistentes. Quod adeo verum est, ut etsi in choro adessent Episcopi, nihilo tamen secius, et ipsi thurificarentur post dictos Presbyterum ac Diaconos assistentes.

Resp. Auctores tam antiqui quam recentes, uti Meratus apud Gavantum, Guyetus, Cavalerius, De Herdt, A Carpo, Piacenza etc., doctrinam exhibent circa id, quod festum primarium vel secundarium constituit. At profecto, festi translationem seu diem assignatam constituere secundarium festum, hoc nemo docuit. Praeterea, quando festum aliquod perpetuo transfertur, alia dies diei natalitiae vel quasi-natalitiae sufficitur, et pro illa stat. Et quamvis in aliquibus differat a prima; nihilominus ita firmiter manet, ut a nullo alio festo translato dimoveri possit. Hinc dies natalitia aut quasi-natalitia dicitur *propria*, et dies assignata non quidem propria sed *tamquam propria* in Rubricis et Decretis passim appellatur. Dies ergo propria in tamquam propriam commutata non perdit, sed retinet naturam suam: ut si illa primarium festum constituebat, primarium festum, licet translatum, constituat et ista: uti, si dies propria secundarium erat festum, et dies tamquam propria secundarium remanet. Ceterum, si festum primarium quia translatum evaderet secundarium, quid evaderet festum translatum secundarium? Numquid bis secundarium? Sed haec doctrina novitatem sapit. Quod de translatione perpetua diximus, idem propemodum dicendum credimus de accidentali; cum festum translatum semper eadem iura retineat in sede ubi celebrari debet, ac si die sua celebratum fuisset. Rubricae enim de translatione perpetua agentes hoc unum praedicant: « Festa.... duplicia minora..... si quotannis a digniori officio impediantur, reponuntur in prima die libera tamquam in propria sede perpetuo recolenda (*Tit.* X, *n.* 1). » Idem de semiduplici Rubricae praedicant (*Loc. cit. n.* 5). De translatione autem accidentali, eadem fere dictio habetur in Rubrica, nempe: « Si aliquod festum duplex occurrat in Dominicis Adventus etc. etc. transfertur in primam diem festo du-

plici vel semiduplici non impeditam (*Loc. cit. n. 1*). » Haec autem dies libera stat pariter pro die impedita; cumque Rubrica nihil addat, sua quoque iura diei impeditae retinere tenendum est, proindeque seu primarii seu secundarii festi naturam, ut in die sua.

Insuper quaenam sint primaria, quaenam secundaria festa, olim fieri poterat quaestio, quae in praesenti plane dirempta est. Catalogus enim extat dictorum festorum, declarans, quae uti primaria et quae uti secundaria haberi debent; sed in eodem Catalogo festa translata, uti secundaria habenda esse non legimus, cum tamen id indicare maxima facilitate potuisset.

At obiicies, in dicto Catalogo (§ IV) haberi festa natalitia vel quasi-natalitia uniuscuiusque Sancti tamquam festum primarium; ergo excluditur a primarietate dies translata, sive perpetuo sive per accidens, quia haec dies nec natalitia nec quasi-natalitia esse potest. Respondeo. Si Catalogus diem natalitiam vel quasi-natalitiam inter festa primaria ponens, intellexisset excludere diem utcunque translatam ab eadem primarietate, manifeste hoc idem festum translatum Catalogus posuisset inter festa secundaria: ut quivis sciret, diem propriam festum primarium, diem non propriam vel tamquam propriam festum secundarium constituere. Atqui hoc non fecit Catalogus; ergo videtur haec interpretatio legis plane reiicienda. Dicendum e contra per diem natalitiam vel quasi-natalitiam intelligere legem, non solum diem, quae materialiter est eiusmodi, sed etiam aliam, quae illi substituitur et stat pro ea.

Sed fortasse opinio praefata quoddam invenire posset fundamentum in Gen. Decreto d. d. 14 Aug. 1894. Hoc enim declarat, festum S. Ioannis Baptistae translatum esse postponendum alteri eiusdem ritus, sed cum feriatione agendo in die sua. Insuper declarat, festum translatum S. Io-

seph, imo et Annuntiationis (non tamen cum feriatione) esse postponendum alteri festo, eiusdem pariter ritus, sed occurrenti, dummodo primario. Ergo, potuit fortasse inferri, festum quodcumque primarium, die sua impeditum translatumque, cum festo alteri primario occurrenti, ritus paritate posita, debeat postponi, manifeste uti secundarium considerandum est ; secus eiusmodi inferior conditio festi translati explicationem non patitur. Sed in contrarium sequentia animadvertimus.

a) In Decreto, de quo supra, haud nimis insistendum credimus ; quia revisioni subiacet, sicuti cetera, et satis probabilius, ne certo certius dicam, emendabitur. Nam aliquid continet, quod intelligi non potest : ex. gr. duplicia I cl. primaria, ait, festo S. Ioseph translato sunt praeferenda, tam in occursu, quam in concursu atque in repositione. Verum, si de occursu agatur, facile intelligitur: si de concursu, difficile intelligitur : si vero de repositione, non potest intelligi. Ratio est, quia agitur de duobus translatis , nempe de S. Ioseph et de alio duplici I classis ; in quibus proinde dignitas praevalere debet iuxta Rubricas. Quomodo ergo ediceret Decretum, festum S. Ioseph cedere debere alio duplici I classis ? Eapropter, ni fallimur, Decretum praefatum censemus reformatum iri ob suam obscuritatem, nisi forte expunctioni obnoxium fiat. *b*) Decretum istud ageret tantum de translatione accidentali, non de perpetua, uti patet ; quia S. Ioseph, uti S. Ioannes Baptista et Annuntiatio, de quo idem Decretum, perpetuo transferri nequeunt. Quod autem festum aliquod per accidens translatum, ceteris paribus, postponi debeat, saltem in occursu, alii festo occurrenti, transeat; sed quod festum perpetuo translatum semper postponi debeat alii festo, quod die sua recolitur, tam in occursu quam in concursu, hoc quid novi sapit, et festum translatum grave pateretur da-

mnum, quo illud Rubricae non plectunt. *c*) Decretum praedictum exceptionem quamdam constituit pro aliquibus festis solemnioribus in casu accidentalis translationis, et consequenter illius dispositiones ad alia quaecumque festa applicare non licet. *d*) Fortasse id factum est, quia cum illa festa solemniora privilegio peculiari gaudeant, ut non solum in die libera ab officio duplici vel semiduplici reponantur, sed in duplici quoque primae classis, idem privilegium sub quibusdam limitibus coarctatum est. At haec, uti patent, applicationem ad casus aliorum festorum, ne privilegiatorum quidem, non patiuntur. Quibus omnibus perpensis reponimus ad propositum Dubium : Negative. Hinc festum Ss. Mart. Hermylli et Stratonici, duplicis min. ritus, licet a die 13 in diem 15 Februarii perpetuo translatum, uti fuit et est, ita et manet primarium.

Nota. Dies 13 Febr. est natalitia Ss. Hermylli et Stratonici, quorum festum recolitur die 15 eiusdem mensis, die vero 13 Febr. agitur de S. Ioanne Eleemosynario, cuius dies natalis est 23 Ianuarii. Habes hic et Ss. praefatos Martyres et S. Ioannem Eleemosynarium, ambos extra diem propriam : quare ? Quis sapiens et intelliget hoc ? Remove igitur a die 13 S. Ioannem, eumdemque diem restitue Ss. Hermyllo et Stratonico ; sicut enim res clamat ad dominum, ita Sanctus ad diem suam propriam. Sanctum autem Ioannem, si dies sua potiori festo impediatur, repone in primam diem liberam iuxta Rubricas.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Aretio.* Lex iubet non esse adhibendas in Ecclesia nisi benedictiones illas, quae a competenti auctoritate approbatae sunt. Sed et benedictiones approbatae non ab omnibus indifferenter dari possunt, cum earum quaedam reservatae sint. His positis, quaesito nobis proposito respondemus: benedictio specialis, cuius exemplar ad nos datum fuit, nullo modo usurpanda est cum approbata non sit; sed eius loco recitanda est illa quae habetur in Appendice Ritualis Romani sub titulo: *Benedictio Infirmorum cum ligno SS. Crucis D. N. I. C., seu Signum S. Mauri Abbatis*, quae fere eadem est. Sed cum haec benedictio propria sit Ordinis S. Benedicti, necesse est ut a Superioribus istius Ordinis facultas impetretur ea utendi. Haec autem facultas facile conceditur.

Nota 1. Cum nulla lex extet circa orationem *Angelus Domini* in triduo maioris Hebdomadae, recitanda nobis videtur, si dicatur, etiam his diebus, eo modo quo in aliis recitatur.

Nota 2. Praeparatio ante Missam et gratiarum actio post eamdem, pertinent magis, ni fallimur, ad Missam quae dicitur, quam ad diem, ut ita dicam, in communi; idcirco ritum Missae convenientius sequi deberent. In Missa igitur de *Requiem* vel de feria, quae in festo duplici dicenda est, ritu semiduplici recitandae nobis videntur.

II. *Pro Africa.* Nil dubii, ex novo iure, diem 28 Ianuarii liberam esse pro repositione cuiuscumque festi etiam

ritus duplicis minoris; sed quia in Specimine Calendarii pro Universali Ecclesia a nobis pag. 286 evulgato, dies ista libera remansit, ac festum S. Raymundi de Pennafort assignatum fuit diei 13 Februarii, minime inde aliqua contradictio exurgit. Nam si attentius perpendisset, statim Rev. Consulens vidisset festum S. Raymundi assignatum esse diei 13 Februarii non pro universali Ecclesia, sed pro iis locis status ecclesiastici in quibus die 23 Ianuarii fit de Desponsatione B. M. V. Nunc autem in istis locis generatim dies prima libera est 13 Februarii; nam, ex. gr., utentes Calendario Urbis die 28 Ianuarii agunt de S. Ioanne Chrysostomo, cum die 27 agere debeant de S. Vitaliano P. C. Idcirco cum impossibile sit in Specimine Calendarii Universalis omnes variationes, quae in singulis particularibus Calendariis habentur, indicare, redactor, quae communiores sunt, indicavit. Sed si in aliquo speciali Calendario praedicta dies 28 Ianuarii libera evadat, dies vero 23 impedita, in illa S. Raymundus assignandus est, cum prima dies libera vere sit. Ceterum id iuxta novum ius, quod nondum evulgatum est; sed in Calendarii Specimine, uti in Calendario universali, S. Raymundus assignatus fuit diei 13 Februarii secundum ius antiquum. Arroges ipsam S. R. Cong.nem nondum amovisse a Die 9 Februarii S. Cyrillum Alexandrinum, ut reponeret in die sua, quae est 28 Ianuarii iuxta Martyrologium Romanum.

III. *Pro Caesaraugusta.* Ne eadem semper dicamus faveat Rev. Consulens perlegere quae circa festum S. Angeli Regni Custodis in *Ephemerid.* diximus in Num. 7 et 10 curr. anni. Item pro occursu S. Antonii Zaccaria et S. Michaelis de Sanctis, quae in Num. 8. Notatum tantum volumus dubium primum Decreti in *Aquen.* d. d. 4 Sept. 1745, quod Rev. Consulens pro ultimo casu allegat, expunctum esse e nova Collectione.

IV. *Pro oppido Vicario Segobricensi.* Pro certo tenendum est quod si Lectiones quae Dominica V Septembris legi debent, nec die propria, neque diebus sequentibus, legi possunt, quia festa occurrentia illas proprias habent, legendas esse in uno ex dictis festis qui « ritus inferioris, minoris dignitatis ac solemnitatis sit », uti S. R. C. in simili casu declaravit (Vid. Decr. in *Einsidlen.* d. d. 5 Maii 1736 *ad Tit. XXV, num. 1.* sub Num. 2319 in Nova Collectione). Quod si dies hic sit 30 Septembris, in isto legantur (Cf. *Ephem.* cur. an. pag. 384).

V. *Pro Curenna.* Sponsi qui Matrimonium contraxerunt tempore vetito, si postea, hoc elapso, benedictionem nuptialem petierint, haec illis danda est, et quidem, certo certius, infra Missam, quia uti legitur in Decreto S. R. U. Inquisitionis d. d. 31 Augusti 1881, *hortandi sunt coniuges catholici qui benedictionem sui matrimonii non obtinuerint, ut eam primo quoque tempore petant. Impertienda vero est benedictio, quam Missale exhibet in Missa pro sponso et sponsa, infra tamen Missae celebrationem* (1). Quoad huius Missae celebrationem nobis videtur dicendum posse iis diebus fieri in quibus permitteretur, si non tantum benedictio nuptialis sed etiam matrimonii celebratio fieret; quia privilegia quibus gaudet Missa votiva pro sponso et sponsa concessa sunt causa benedictionis nuptialis. In casu nostro haec adest, et est vera benedictio; er-

(1) Observandum est aliud esse *benedictio Nuptiarum*, quae praecipue consistit in precibus illis, quas Missale in Missa pro sponso et sponsa praescribit, aliud *matrimonii celebratio*, quae consistit in assensu sponsorum, benedictione et traditione annuli etc. Prima de qua hic loquimur non potest fieri extra Missam et tempore clauso, iuxta Rubricas et Decreta: altera potest semper fieri, quocumque loco et tempore.

go. Quod dictum est de matrimonio tempore clauso contracto, pariter dicendum est, uti facile eruitur ex Rituali Romano (*Tit. VII, cap. 1. num. 16*), de Matrimonio domi vel in Ecclesia celebrato, sed vespere (Vid. de Herdt, *Praxis Ritualis Romani*, cap. VIII).

VI. *Pro Montepolitiano. Probabilius* Diaconus, qui ex delegatione Sacram Communionem fidelibus distribuit, non potest in fine illis benedicere dicendo : *Benedictio Dei* etc. Ratio, uti iam diximus (*Ephemerid.* an. cur. pag. 326), est quia Sacerdoti tantum potestas confertur in Ordinatione benedicendi: *Sacerdotem oportet benedicere*. Diaconus vero hanc potestatem in sua Ordinatione non accipit; ergo nequit ea uti. Vide, si lubet, ea quae loco citato fuse disseruimus.

VII. *Pro Gallia.* Missa votiva solemnis nihil communis habet cum Missa diei. Ideoque parum interest si in Missa diei *Gloria* et *Credo* dicendum sit, quod prohibeatur ex parte vel in toto in Missa votiva. In primo enim casu Rubricae id expostulare possunt, in secundo vero prohibere. Unde Rubricis standum est.

VIII. *Pro Labaco.* Verum est Decretum *in Aquen.* ad 11 n. **2365** (4119) exigere, ut Festum anniversarium de Episcopo translato annuntietur cum termino *translationis*. At annuntiatio festi significat dictum festum non esse enunciandum per festum *consecrationis* Episcopi, sed per festum *translationis*. Porro ex eo non sequitur terminum *translationis* inducendum esse in Oratione *Deus, omnium fidelium*, quae prouti in Missali prostat dicenda est.

IX. *Pro eodem loco.* Aspersio aquae benedictae est functio liturgica ante Missam conventualem in Dominicis praescripta, saltem pro Ecclesiis collegialibus. Sed neque hymnus *Veni, Creator*, neque concio tunc temporis praescribitur ; ergo si haec facienda occurrant ante eamdem

Missam, consultius ante aspersionem fiunt, ut aspersio et Missa sibi respondeant iuxta Rubricas.

X. *Pro Corleone.* Missa *Rorate* in novendiali, praecedente Nativitatem Domini, iuxta consuetudinem, cantari potest, sed *sine Gloria (praeterquam in Sabbatis et infra octavam B. M.) et sine* **Credo**, *et exceptis solemnioribus festivitatibus.* Ita Decretum in *Tirasonen.* n. **2377** (4159) ad 7.

XI. *Pro eod. loco.* Abusus est, contra Caeremoniale Episcoporum, organa in Missa solemni pulsare semper, excepto tantum ad Orationem dominicam. Iuxta praefatum Codicem silere debent quoties Celebrans aut etiam ministri sacri aliquid concinunt (*Lib. I, cap. XXVIII, n. 3*). In solemnibus autem Missis defunctorum organa consociare tantum possunt cantores, ceterum silere debent (*Loc. cit. n. 13*). Sive autem Missae cantatae sint de requie, sive, et a fortiori, sint iuxta ordinem officii, Graduale, Offertorium, et Communio cantari debent. Ita Decretum in *Clodien.* 7 Aug. 1875 ad VII, aliud antiquius invocans *Conimbricen.* d. d. 14 Apr. 1753 ad II: nisi saltem sub organo (non tamen in missis de Requie), clara voce legantur, iuxta Caeremoniale.

XII. *Pro eod. loco.* In Oratoriis, publicis quidem, ad tempus seu occasione festorum tantum, vel in solis dominicis diebus, potest Eucharistia asservari, sed de consensu Episcopi. Ita Cavalerius (*Tom. IV, Decr. IV, n. II*), qui sustinet Decreta seu Rituum seu Concilii, id prohibentia, nonnisi de assidua asservatione verba facere. Quod si Eucharistiam ad tempus asservandi vigeat consuetudo, non tam facile iudicandum, id sine ulla auctoritatis permissu factum fuisse; sed iure merito aut Episcopi aut Sedis Apostolicae supponenda est facultas, nisi oppositum, omni cum certitate, demonstretur.

XIII. *Pro eod. loco.* Oratoria publica, si Episcopus loci bonum iudicaverit, non videmus quare solemnem Eucharistiae expositionem habere nequeant, etsi dictam Eucharistiam assidue asservandi privilegio careant. Eo in casu unicus Presbyter cotta et stola indutus expositionem agere poterit pro Missa solemni, dummodo incensationes debitae, tam in principio, quam in fine, ante benedictionem post Missam populo impartiendam, non omittantur.

XIV. *Pro Hispania.* Imagines Sanctorum, licet naturaliter non sint sitae inter candelabra, sed in superiori gradu, et aliquantum retro eumdem gradum, ad Missam solemnem et solemnes Vesperas thuriticari nihilominus debent. Quia revera super gradibus altaris sunt, et fidelium aspectui ac venerationi expositae: adeo ut esse inter candelabra censeantur, quamvis altius appareant conspicientibus. Neque obstat si Reliquiae in nullis aut in aliqua tantum ex imaginibus vel statuis, sint collocatae aut expositae, quia Caeremoniale Episcoporum Reliquias Sanctorum in casu non requirit.

XV. *Pro eod. loco.* Episcopus Missae solemni assistens, si rochetto et mozzetta sit indutus, tunc non in throno, sed in primo stallo chori assistere debet, et absque ulla assistentia Canonicorum. Caeremoniarius tamen assistere potest, et pulvinaria in stallo apponuntur. Episcopus non legit ex libro, non benedicit incensum, aquam, Subdiaconum, Diaconum, neque populum, neque osculatur librum evangeliorum. Incensatur tantum ad Offertorium, et tunc triplici ductu. Recipit pacem a Diacono. Celebrans, Canonici aliique ministri ordinarias ei faciunt reverentias; et Celebrans, antequam benedicat populo, se vertit ad Episcopum, ei caput inclinat, benedicitque astantes a parte a qua non adest Episcopus. Ita fere ad litteram de Herdt (*Prax. Pontif. lib. 2, n. 142, § 1.*).

SOLUTIO QUAESTIONIS

pro mense Novembri 1898 propositae (1).

— ⋘ —

PROPOSITIO.

Titius Presbyter regularis, adversa, sed levi prolixaque valetudine affectus, detinetur in lecto sui cubiculi, nullam cum valetudinario relationem habentis, et caelesti pane quotidie recreari cupit. Omnes et singuli ritus in Rituale praescripti, *de Communione Infirmorum*, ex. gr. quotidiana cubiculi aspersio, illum ne respiciunt?

SOLUTIO.

Certe Titium, de quo in casu, licet prolixa et levi, sed adversa valetudine affectum, omnes et singuli ritus in Rituale praescripti, *de Communione Infirmorum*, respiciunt, si privato gaudet cubiculo, nullam cum valetudinario relationem habente, quamvis coelesti pane recreari quotidie desideret et cupiat.

Primo, res luce meridiana evadit clarior per simplicem Rubricae inspectionem. Sub eodem enim capite comprehenduntur varii casus, in quibus deferri debet S. Communio ad Infirmos, et Rituale non seperatim tractat de Viatico et de aliis communionibus devotionis, quas suscipere valet aegrotans.

« Hortetur, inquit Rituale (2), Parochus infirmum, ut Sacram Communionem sumat, etiamsi graviter non aegrotet, aut mortis

(1) Solutionem huiusce Quaestionis de more ad nos dederunt consociati Rev.di Fourneret, A. Nivardus Bossi et Ioannes Benini. Omnes in eamdem convenerunt sententiam, quam validioribus argumentis comprobarunt. Primam seligimus, utpote magis absolutam, et praemio donabimus.

(2) Tit. IV, cap. 4, n. 2.

periculum non immineat, maxime si festi alicuius celebritas id suadeat, neque ipse illam ministrare recusabit ».

« Pro Viatico autem ministrabit (1), cum probabile est quod eam amplius sumere non poterit. Quod si aeger, sumpto Viatico, dies aliquot vixerit, vel periculum mortis evaserit, et communicare voluerit, eius pio desiderio Parochus non deerit ». Unde tam ante quam post periculum mortis, *potest* per devotionem communicare infirmus, sicut in mortis periculo *debet* per modum Viatici.

Sed nedum loquatur Rituale de altero Caeremoniali, prout agitur de Viatico vel aliis communionibus ad infirmum delatis, duas tantum pro omnibus notat exceptiones, nempe : « Potest quidem (2) Viaticum brevi morituris dari non ieiunis . . . . Coeteris autem infirmis, qui ob devotionem in aegritudine communicant, danda est Eucharistia ante omnem cibum et potum, non aliter ac coeteris fidelibus, quibus nec etiam per modum medicinae ante aliquid sumere licet ». Et paulo infra : « Tum sacerdos (3), dans infirmo eucharistiam, dicat : *Accipe frater* (vel *soror*) *Viaticum Corporis D. N. I. C. qui te custodiat ab hoste maligno, et perducat in vitam aeternam. Amen.* Si vero (4) communio non datur per modum Viatici, dicat more ordinario : *Corpus D. N. I. C. custodiat animam tuam in vitam aeternam. Amen* ».

Quapropter, superest dicendum ut, exceptis praedictis, caetera eadem remaneant, et Caeremoniale igitur Infirmorum commune adhibetur, sive aegrotus sumat Eucharistiam per modum Viatici, sive ex devotione, iuxta axioma valde tritum : « *ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus* », et iuxta alterum non minus notum : « *exceptio firmat regulam* ».

Secundo, ita sentiunt peritiores Rubricistae. « Duplex, inquit

(1) ibid. n. 3.
(2) Tit. IV, cap. 4, n. 4.
(3) ibid. n. 16.
(4) ibid. n. 17.

Fornici (1), distinguitur infirmorum communio : illa nempe quae illis defertur per modum devotionis, illa quae morituris administratur et appellatur Viaticum, tum quia spiritualis cibus est, quo in huius vitae peregrinatione sustentatur, tum quia vim nobis ad aeternam gloriam et felicitatem munit. Hoc inter utramque intercedit discrimen, quod Viaticum datur non ieiunis, coeteris autem infirmis, qui ob devotionem in aegritudine communicant, datur Eucharistia ante omnem cibum et potum. Differt praeterea utraque communio respectu formae ; dum enim infirmo datur per modum Viatici, dicit Sacerdos : *Accipe, frater* (vel *soror*), *Viaticum Corporis* . . . . , dum vero per modum devotionis, dicit more ordinario : *Corpus D. N. I. C.* . . . . ». Et paulo infra : « Sive autem, vel ob devotionis vel Viatici causam, hoc Sacramentum ab ecclesia ad privatas aegrotantium domos deferatur, semper servandum est apprime quod Honorius III, cap. *Sane, de celebratione Missarum* mandat, ut Sacerdos nempe Eucharistiam ad infirmum in decenti habitu ferat ac referat, manifeste ac honorifice, ante pectus cum omni reverentia et timore, semper lumine praecedente, cum sit candor lucis aeternae, ut ex hoc apud omnes fides et devotio augeatur. Ex hac decretali desumptum est quod super hac delatione praescriptum reperitur in Rituali n. 6, *de Communione Infirmorum* ». Unde Caeremoniale substantialiter idem est pro omnibus infirmis.

Cl. Martinucci (2) et Piller (3), praeter variationem formulae, in quantum administratur Eucharistia pro Viatico vel ex devotione, nullam indicant alteram mutationem in Caeremoniali relate ad communionem infirmorum, et idcirco absolute confirmant nostram doctrinam.

Antea iam legebatur in Rituali Romano ad usum Aletensis dioecesis in Gallia, 1667 : « Si le malade communie seulement par dévotion et non pas pour Viatique, le prêtre doit observer les

(1) Part. 3, cap. 13.
(2) Lib. 4, cap. 7, n. 20.
(3) Part. 3, art. 3, Delatio Communionis ad Infirmos.

cérémonies marquées ci-dessus et dire les prières comme lorsqu'il donne la Communion pour Viatique, si ce n'est qu'en communiant le malade, il ne dit pas : *Accipe, frater* ou *soror*, mais *Corpus Domini* . . . comme l'on fait aux communions ordinaires » (1).

Nuperrime, sub titulo : *Delatio SS. Sacramenti ad infirmum ex devotione*, Doct. De Herdt attestatur (2) : « SS. Sacramentum deferendum est eodem prorsus modo, ac per modum Viatici . . . . Preces antecedentes et subsequentes Communionem pariter recitandae sunt ac pro Viatico, quia Rituale eas praescribens pro communione Infirmorum, uti titulus indicat, non distinguit inter communionem sive per modum Viatici sive ex devotione ». Sed mutanda est tantum formula communionem concomitans, ut videre est eodem loco, n. 16 et 17.

Denique, ex ipsa Academia Liturgica (3), « pro delatione Rituale praescribit : 1. Decentem habitum in ministro, nempe super talarem vestem superpelliceum et stolam, velumque humerale ac — si ratio solemnitatis id exigeret — etiam pluviale ; 2. Campanae signum pro Fidelibus vel Confraternitate convocandis, ut cum luminibus intersint processioni, prout rerum locorumque adiuncta postulant », ipso decreto 10 Martii 1787, n. **2530** (4428) mandante, omnes ecclesias sive Regularium sive Saecularium sive Monialium, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili in contrarium, quando in festis solemnioribus anni aut occasione particularis Iubilaei aut Indulgentiae SS. Sacramentum a Parochis maximo apparatu et pompa infirmis defertur, debere ac teneri solemniter pulsare campanas, dum eundo et redeundo transit SS.mum ante portas maiores et laterales dictarum ecclesiarum ac domorum Cleri et conventus eis ecclesiis adnexarum et contiguarum ; « 3. Clericum umbellam deferentem, nisi baldachinum adhiberi debeat ; 4. In domo infirmi duo va-

(1) 1 Part. 6 Instruction, Ordre pour la communion des malades.
(2) Tom. 3, n. 192.
(3) 8 Iunii 1892 apud Ephem. ann. 1893, pag. 552.

scula, alterum pro vino si opus fuerit, alterum pro aqua: mensam linteo mundo coopertam pro Sacramento deponendo et linteum mundum ponendum ante pectus communicandi, item bursam cum Corporali ac Purificatorio ad Sacerdotis digitos abluendos; 5. Clericus praecedit Campanulae dans signum transeuntis Viatici; illum sequuntur qui lumina gestant, denique Sacerdos pyxidem deferens cum sacriis Hostiis, quam tenet ante pectus ambabus manibus, velo tectam, psalmos interim decantans; 6.... Alter praeterea clericus adsit pro vasculo aquae et aspersorio, pro domo infirmi benedicenda, nisi in eadem domo paratum antea vas fuerit ». Porro haec praecipua, quae in Rituali imperantur pro Eucharistia ad Infirmos deferenda, suam indubie applicationem habent, etiam in casu communionis ob devotionem recipiendae, cum Rituale, et absolute dicat: « Deferri autem debet hoc sanctum Sacramentum ab ecclesia ad privatas aegrotantium domus decenti habitu, superposito mundo velamine, manifeste atque honorifice ante pectus, cum omni reverentia et timore, semper lumine praecedente » (1), et singulatim deinde enumeret omnia superius relata sine ulla distinctione (2).

Circa administrationem vero, quin distinguat inter communionem pro Viatico et communionem per devotionem, addit simpliciter praelaudata Academia: « 1. Sacerdos ut pervenerit domum infirmi, recitat *Pax huic domui* etc; tum deponit Sacramentum, adorat, reliquis interim genua flectentibus; 2. Infirmum benedicit eumque et cubiculum aspergens sub formula *Asperges me* etc. cum reliquis orationibus in Rituali inscriptis; 3. Accedit ad Infirmum, cuius audit, si opus fuerit, confessionem (quod tamen antea faciendum) et illum absolvit; 4. *Confiteor* per clericum dicto (vel ab Infirmo), *Misereatur* et *Indulgentiam* Sacerdos recitat de more, sed versus ad Infirmum; consuetam autem formulam communionis in alteram *pro Viatico* mutat, ut in eodem Rituali, si ad modum Viatici communicare debeat infir-

(1) Tit. 4, cap. 4, n. 6.
(2) ibid. n. 7 et seq.

mum; 5. Communione administrata, pyxidem loco suo ponit, Sacramentum adorat, si plures in illa positae particulae fuerint, digitos abluit, appositam recitat orationem super infirmo, quem demum Sacramento benedicit, reditque processio in ecclesiam: 6. Si una tantum sacra particula in pyxide studio posita fuerit ex necessitate, de qua Rituale (n. 24), tunc solae preces praescriptae super infirmo dicuntur, coetera omittenda (excepta benedictione quam manu Sacerdos elargitur), et privatim redeundum ». Unde iam inconcussa videtur assertio nostra, cum sola formula Communionem concomitans indicatur sicut variabilis, et efformat exceptionem quae firmat regulam.

Tertio, S. R. C. paucis abhinc annis, omne ademit dubium. Nam interrogata « an in administranda Infirmis S. Communione *Non per modum Viatici*, servandae sint tam extra quam intra cubiculum Infirmi omnes coeremoniae a Rituali praeceptae pro administratione Viatici, exceptis tantum verbis *Accipe, frater* vel *soror* », rescripsit die 13 Febr. 1892 : « affirmative, iuxta Ritualis Romani praescripta, exceptis excipiendis, » et ita servari mandavit (1). Aliis verbis, Caeremoniale pro administratione Viatici servari debet in administranda Infirmis Communione non per modum Viatici seu ex devotione, et excepta excipienda, de quibus in responsione, respiciunt tantum ea quae nominatim in Rituali indicantur ut sic, id est non solum formulam communionis in dubio proposito allegatam, sed etiam legem ieiunii eucharistici, quae nonnisi in casu Viatici cessat obligare. Quapropter verba « exceptis excipiendis » non denotant variandum esse Caeremoniale, quum respondet S. R. C.: *affirmative*, sed altera esse excipienda iuxta Rituale, praeter verba *Accipe, frater* vel *soror*, quae solum habebantur ut excepta in quaestione, demonstrant.

Coeterum, nihil quod ex praeceptis pro Viatico; si serventur pro communione Infirmi ex devotione, videatur vel minimum extra chorum canere, et excepto ritu *Accipe frater* vel

(1) S. R. C. *dub. additional.* ad 3.

soror, qui assignatur mutandus; « coeteri, teste cl. Bouvry (1), **non** sunt mutandi tum ante tum post Communionem Infirmi *non constituti in mortis periculo*... quia conveniunt cuicumque communioni *domi* **ministratae**, etiam absente mortis periculo ».

Verbi gratia, *Pax huic domui*, sunt verba salutationis, quam Christus ipse commendavit, **iuxta illud** div. Lucae, cap. 10, ℣ 5: « in quamcumque domum intraveritis, **primum** dicite : *Pax huic domui* »; et non est ratio cur omitterentur, si **infirmus** Eucaristiam suscepturus non gra iter aegrotaret, dum dicerentur, si lethalis esset morbus. Significant enim pacificum medici coelestis adventum, qui habet claves mortis et vitae, et afferre potest salutem infirmo, sicut olim salus domui Zachaei facta est per adventum Domini. Confer. Caval. (2), et Baruffaldi (3).

Item, aspersio infirmi et cubiculi aqua benedicta sub consuetis aspersionis precibus quae, teste decreto 11 Febr. 1702, n. **2089** ad 7 (3614), semper dicendae sunt, nulla habita ratione temporis paschalis, stricte servanda est. Etenim, ait Baruffaldi (4), « inservit aqua benedicta ad multa officia..... Pro nunc sciendum est ex aquae huius lotione indicari Christifidelibus quale esse debeat cor illorum in conspectu Domini, ut per Isaiam cap. I, *Lava a malitia cor tuum* », quia verba *Asperges me* etc. nomine infirmi recitantur. Imo, « inter effectus huius sacrae institutionis, primus est ut anima mundetur a maculis venialium peccatorum, ut declarat Alexander PP. in Can. *Aquam*, *de Consecrat. dist 3*..... Inservit ad effugandos daemones et incantationes, ut in dict. Can. *Aquam*, nec non valet ad corporis sanitatem ad alia similia, ut de tali effectu exoratur Deus in illius benedictione, prout in formula..... Igitur cum ad suum finem omnia ab ecclesia instituta sunt, aqua haec non in vanum

(1) Tom. 2, Part. 4, Sect. I, § 8, n. 12.
(2) Tom. 4, cap. 5, dec. XI, n. 6.
(3) Tit. 26, n. 158.
(4) Ibid. n. 138.

adhibetur ante administrationem SS. Viatici », sed et ante communionem cuiuscumque infirmi. « Infirmi enim animam purgare debet a peccatis, et quamvis Sacramentum cum venialibus stare possit, nihilominus dignitas SS. Eucharistiae cor omnino mundum requirit..... Denique si Dei voluntas est ut infirmus convalescat, valet ad restituendam salutem corpori ». Quamobrem idem auctor concludit (1): « Aspersio fit circa lectum infirmi, et postea per totum locum ubi iacet, ad morbos pellendos et daemones fugandos: valet insuper, ut maiori puritate aeger Sacram. suscipiat, ℣ *Asperges* etc. ex Psal. *Miserere* etc. », cui addenda sunt haec Cavalieri verba (2): « Aspergitur aegrotus et lectus, ut procul abeant infernales spiritus, circumstantes vero, ne horum preces impediant vel inturbare tentent, quas pro infirmo devote fundunt ». Sed quis non videat haec omnia perfecte quadrare, etiamsi infirmitas non sit ad mortem et proinde communio sit per modum devotionis tantum? Ergo in quacumque infirmi communione domi facienda, idem tenendum est Caeremoniale pro aspersione aquae benedictae cum eius precibus consuetis sub num. 12, quia semper convenit Sacerdoti reformidare, ne aegroti indignitas obsit effectui suae orationis ac merito igitur adiutorium Domini implorat et supplicat, ut Deus mittere dignetur sanctum Angelum suum de coelis, ad illum defendendum contra diabolum, qui semper circuit quaerens quem devoret.

Amplius, docet Claudius de Vert (3), « comme on a été quelquefois obligé de communier le fidèles hors de la Messe, par exemple dans les maladies et en d' autres rencontres, il a été indispensable de détacher et reprendre du Corps de la Messe toutes les prières qui convenaient à la communion, savoir, le *Confiteor*, le *Misereatur,* l' *Indulgentiam*, et le *Domine*, *non sum dignus* (précédé de l' *Ecce agnus Dei*) pour les joindre à cette action qui se faisait hors du S. Sacrifice ». Unde preces istae

(1) Ibid. n. 161.
(2) Tom. 3, cap. 19, dec. 2, n. 10.
(3) Tom. 3, Rubr. 204, Rép. à la 2. demande.

connaturaliter Eucharistiae distributionem antecedunt, sive pro sanis, sive pro infirmis etiam ex devotione communicantibus, quia semper in uno sicut et in altero casu conveniunt, et pro certo tenemus itaque semper *in numero plurali* dici debere *Misereatur* et *Indulgentiam*, et omnibus mature perpensis rationibus in *Ephem.* ann. 1887, pag. 532, et in folio *L' Ami du Clergé*, ann. 1889, pag. 207 allatis, corruit tota Liturgistarum opposita sententia.

Sed formula communionis in levi et prolixa valetudine adversa non esse potest nisi communis, nempe : *Corpus Domini* etc. Quippe « verba sunt, inquit Cavalieri (1), per quae instruimur nonnisi in probabili mortis periculo Eucharistiam per modum Viatici administrandam esse, nempe per illa verba : *Accipe, frater, Viaticum* etc., extra vero tale periculum, semper per consueta : *Corpus Domini* etc. ». Et alibi (2) : « Quotiescumque Eucharistia ab infirmis suscipitur extra mortis periculum, isti haudquaquam communicant per modum Viatici, et ideo non congruunt laudata superius verba : *Accipe, frater, Viaticum* etc., sed magis dici debent consueta : *Corpus Domini nostri* etc., quae dicuntur etiam in communione sanorum ». Coeterum ex Baruffaldi, loc. cit. falsa esset in casu formula Viatici, si adhiberetur, cum indicaret infirmum iam esse in via ad aeternitatem, quamvis infirmitas levis sit et nullimode lethalis, ut fert hypothesis.

Facta autem ista exceptione, pro reliquo redit servandum idem Caeremoniale. Audite cl. De Conny (3) : « Lorsque la Sainte Eucharistie est distribuée en dehors du Saint Sacrifice, le prêtre retenant quelque chose des rites de la Messe, récite une Oraison d'Actions de grâce en manière de Postcommunion, et bénit ceux qui se sont approchés de la Sainte Table ». Quae omnia verificantur pro omni casu, licet diverso modo. Pro sanis habetur Oratio cum benedictione danda Tit. IV, cap. 2, n.

(1) Tom. 4, cap. 5, dec. 1, n. 4.
(2) Ibid. dec. XI, n. 14.
(3) Les Cérémonies de l'Eglise, chap. 22, art. 3.

7 et 9; pro Infirmis ; Tit. IV, cap. 4, n. 19, 20 et 24, sine distinctione inter communionem Viatici et communionem devotionis, modo sequenti : « Dicat : ℣ *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo. Oremus. Domine sancte* etc. » (1). « His expletis, si altera particula Sacramenti superfuerit (superesse autem semper debet praeterquam in casu iam dicto n. 9), genuflectit, surgit et accipiens vas cum Sacramento, facit cum eo signum crucis super Infirmum nihil dicens, et reverenter illud deferens, ordine quo venerat, revertitur ad Ecclesiam, dicendo Psalmum *Laudate Dominum de coelis* etc., et alios Psalmos et Hymnos, prout tempus feret » (2). « Quod si ob difficultatem aut longitudinem itineris, vel quia ea qua decet veneratione, Sacramentum ad ecclesiam commode reportari non potest, sumpta fuerit una tantum particula consecrata, ut dictum est n. 9, tunc ex infirmo administrata, Sacerdos, praedictis precibus recitatis, eum manu benedicit, et una cum aliis privato habitu, extinctis luminibus, umbella demissa, latente pyxide, ad ecclesiam vel domum quisque suam revertitur » (3).

Hinc iuste Cavalieri dicit : « In nullo casu debet omitti praescripta Oratio : *Domine sancte* etc. « (4). Ratio est quod, teste Bernard (5), « l'Oraison *Domine sancte*, que nous trouvons déjà dans le Pontifical de S. Prudence, evêque de Troyes au IX^me^ siécle, a pour objet le malade qui a communié. Nous demandons à Dieu le Père eternel.... que le Corps sacré de son Fils soit pour l' âme et pour le corps de nôtre frère, de nôtre soeur, en ce besoin pressant.... un gage de salut et de gloire pour l'éternité : demande qui ne laisse pas d' être opportune quand le malade, hors de danger, communie par simple dévotion », et ipse iam notaverat prius Gardellini : « Oratio illa dicenda est, etiamsi nulla supersit particula, est enim deprecatio pro infirmo » (6).

(1) Tit. 4, cap. 4, n. 19.
(2) Tit. 4, cap. 4, n. 20.
(3) Ibid. n. 24.
(4) Tom. 4, cap. 5, dec. XI, n. 17.
(5) Le Rituel, Tom. I, chap. 3, § 3.
(6) Instruct. Clement. § 31, n. 7.

Quoad benedictionem *domi* datam, si deficiat altera Sacramenti particula, conceditur, iuxta Baruffaldi aliosque, manu, Sacerdote dicente, ut de more, post communionem sanis extra Missam distributam : *Benedictio Dei omnipotentis* etc. Ita communiter Liturgistae contra aliquos, qui non satis animadverterunt Rubricam exclusisse verba in casu benedictionis cum SS.mo, non autem in hypothesi praesenti, ut insuper verba non minus infirmis convenire quam sanis, pro quibus haec formula imperatur (1).

Denique, pervento ad ecclesiam Sacerdote, si aliqua particula superfuerit reportanda, recitantur preces : *Panem de coelo* etc. *Dominus vobiscum*, et *Oremus*. *Deus, qui nobis*, etiam durante paschali tempore, prout iacent (2), et non est liberum omittere *Dominus vobiscum*, ut insinuat Gardellini (3). Primo, quia formalis est lectio Ritualis authentici; secundo, quia ex ipsa ratione Gardellini (4), cum benedictio non immediate sequitur, sed prius annuntiantur indulgentiae, dicendum est *Dominus vobiscum*, postea benedicit cum SS.mo, nihil dicens.

Hinc, « etiamsi numerus infirmorum maior esset, ait Liturgia mechliniensis 1890, (5) non omittet Sacerdos pro singulis infirmis dicere omnes preces et exequi omnes ritus in Rituali praescriptos; nullibi enim, neque in Rituali, neque in decretis, neque apud auctores, aliqua harum omissio permittitur. Itaque in singula domo, in singulo cubiculo, fiat aspersio aquae benedictae cum adiuncta oratione, et dicatur post datam communionem Oratio pro infirmo, eique detur benedictio ».

« Attamen in valetudinariis, si in uno cubiculo plures essent infirmi ex devotione communicandi, qui Sacerdotem S. Communionem deferentem possent videre vel saltem audire, licitum nemo negabit semel pro diversis unius cubiculi infirmis communi-

(1) Rituel Tit. 4, cap. 2, n, 9.
(2) S. R. C. 11 Febr. 1702. n. 2089 ad 7 (3614).
(3) Instruct. Clement. § 31, n, 10.
(4) Ibid. n. 6.
(5) De administratione Sacramentorum. Tit. IV, n. 206.

candis dicere preces et exsequi ritus, et pro singulis tantum dicere formulam *Corpus Domini nostri* etc. » (1).

Itaque, in casu proposito, extra dubium est omnes et singulos ritus in Rituali praescriptos respicere Titium adversa, sed levi prolixaque valetudine affectum, cum detinetur in lecto sui cubiculi, nullam cum valetudinario relationem habentis, etsi coelesti pane quotidie recreari cupiat.

A. Fourneret
ex Acad. Liturg. Romana,
Parochus loci vulgo dicti Lannes
(dioecesi Lingonensi)

QUAESTIO SOLVENDA

PRO MENSE IANUARIO 1899.

Potestne collatio sacrorum Ordinum imo Episcoporum consecratio, haberi in die non feriato S. Lucae aut S. Marci Evangelistae, sicut haberi certo potest in festis Apostolorum?

APPENDIX

E SACRA CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM

Beatissime Pater.

N. N. ad S. V. pedes provolutus, ea qua par est reverentia exponit: Sunt infauste in hac Congregatione aliqui alumni Ordinibus Maioribus non insigniti, qui post repetitas admonitiones etiam in notabiles Regularum infractiones et gravia peccata con-

(1) Ibid.

tra vota religiosa relapsi sunt, non sine scandalo et seductione aliorum confratrum, murmurantes et calumnias spargentes contra Superiores, Institutum et vocationem religiosam. Istorum aliqui veniam petierunt cum promissione seu proposito non amplius delinquendi, nihilominus ad eumdem vomitum redierunt. Venia saepe relapsis concessa confirmat absque dubio sequaces in praeposterа agendi ratione cum relaxationis periculo ; et dubitatur de intelligentia recentis Decreti « *Auctis admodum* » super facultate expellendi alumnos votorum simplicium perpetuorum non ordinatos in sacris sine processus formatione, ad quod Constitutiones nostrae Superiori Generali auctoritatem conferunt. Hinc, ut tanto damno opportune occurrere possit, Orator, sequentis dubii solutionem humiliter postulat, scilicet : « An Superior Generalis suos alumnos inobservantes, ut in casu proposito, ab Instituto expellere queat. Et in casu affirmativo : An eadem potestate gaudeat Superior Provincialis respectu suorum alumnorum ? » Et Deus....

Sacra Congregatio E.morum et R.morum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, super dubiis propositis respondendum censuit uti sequitur : — *Ad 1um*. Prout proponitur *negative ;* sed Sacra Congregatio facultatem Superiori Generali una cum suo Consilio Generalitio benigne tribuit procedendi ad dimissionem Alumnorum de quibus agitur, quatenus enuntiati Alumni in Ordinibus Sacris constituti non fuerint, summario modo, constito de eorum incorrigibilitate, seu processu camerali cum descriptione criminum et aliqua probatione, nec non constituto aliquo viro Religioso pro Defensore, firmo remanente perpetuo voto castitatis ab eisdem in dicto Instituto emisso — *Ad 2um*. *Negative.*

Romae 4 Iulii 1898.

† S. Card. VANNUTELLI. *Praef.*
A. Trombetta. *Secret.*

E S. CONGREGATIONE PROPAGANDAE FIDEI

R. P. Dno Josepho Medardo Emard, Epo Campivallensi.

Illme ac Rme Domine,

In litteris diei 4 elapsi mensis Aprilis datis, Amplitudo Tua, exponens virum quemdam Segretae *Old Fellows* Societati adscriptum obiisse, quin ullum poenitentiae signum prius dederit; quaerit :

1. Utrum in similibus casibus liceat administrare Sacramentum Extremae Unctionis et caeremonias publicas peragere, uti cum aliis catholicis ?

2. Quid de sepultura ecclesiastica tum quoad caeremonias in Ecclesia, tum quoad locum in coemeterio ?

Porro cum Societas anglice dicta *Old Fellows* sit ex damnatis ab Apostiolica Sede, cum iis qui illi sunt adscripti eadem tenenda est regula, quae pro aliis addictis sectis ab Apostolica Sede damnatis. Videlicet, Societatibus istiusmodi adscriptis, si sint notorii, neque sacramenta, neque exequias, neque ecclesiasticam sepulturam concedi posse, nisi, debita retractatione emissa, per absolutionem Deo et Ecclesiae fuerint reconciliati. Si quando vero iidem morte praeventi retractationem rite emittere non potuerint, dederint nihilominus ante mortem signa poenitentiae et devotionis, tunc poterit eis concedi sepultura ecclesiastica, vitatis tamen ecclesiasticis pompis et solemnitatibus exequiarum.

Interim vero Deum precor ut Te diu sospitem servet.

Ampl. Tuae Addictissimus Servus

Romae, die 10 Maii 1898.

M. Card. LEDOCHOWSKI, *Praef.*

A. Archiep. Larissen *Secrius.*

E S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

Decretum Urbis et Orbis

26 Mai. 1898 — Quum huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae ex ipsa sui institutione munus demandatum sit vigilandi, ne in christiano populo falsae et apocryphae, vel iam revocatae a RR. PP. Indulgentiae temere evulgentur, pluries ab ea quaesitum est, num Indulgentiae mille sive etiam plurium millium annorum, quae in nonnullis Summariis et etiam in Pontificiis Constitutionibus leguntur, sint retinendae uti verae, an potius inter apocryphas amandandae, ea potissimum de causa quod immoderatae viderentur.

Porro quum haec S. C. generatim animadverterit praedictarum Indulgentiarum concessionem, ut plurimum, nulli aut supposititio niti fundamento, praetereaque perpenderit id quod Sacrosancta Tridentina Synodns Sess. 25, cap. XXI Decret. de Indulg. docuit, in concedendis nimirum Indulgentiis moderationem esse adhibendam, ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur; opportunum esse censuit, sicut alias peragere consuevit, ut Indulgentiae omnes, quae mille vel plurium millium annorum numerum attingunt, praetermisso an veris sint accensendae vel apocryphis, revocarentur et abrogarentur: id enim postulare videbantur et mutata temporum adiuncta, et modo vigens in Ecclesia disciplina.

E.mi itaque Patres huic S. Congregationi praepositi, in generalibus Comitiis ad Vaticanum habitis die 5 Maii 1898, omnibus mature perpensis, unanimi suffragio rescripserunt: *Indulgentias omnes mille vel plurium millium annorum omnino esse revocandas, si SS.mo placuerit.*

Facta autem de his omnibus relatione SS.mo D.no Nostro Leoni XIII in Audientia habita die 26 Maii 1898 ab infrascripto Card. Praefecto, Sanctitas Sua E.morum Patrum sententiam ra-

tam habuit et confirmavit, mandavitque per generale Decretum declarari omnes Indulgentias mille vel plurium millium annorum, quae hucusque concessae dicuntur aut sunt, revocatas esse, et uti revocatas ab omnibus habendas. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 26 Maii 1898.

Fr. Hieronymus M.ª Card. Gotti, *Praef.*
Pro Rev. P. D. Ant. Arch. Antinoen., *Sec.*
Iosephus M. Can. Coselli, *Substitutus.*

E SUPREMA S. OFFICII CONGREGATIONE.

Beatissime Pater.

Episcopus N. N. ad pedes S. V. provolutus exponit, in sua dioecesi, imo et alibi, haud paucas reperiri puellas ecclesiastice nuptas militibus, qui in Africa, pugnae Aduae participe fuerunt, et quorum nulla deinceps notitia audita est, haud obstantibus minutis investigationibus, quibus Gubernium italum operam dedit: ut proinde mortui supponantur. Nunc itaque cum ipsae relationem instituerint cum aliis viris, cum quibus legitimum matrimonium inire cupiunt, documentum postulant libertatis. Subscriptus Episcopus, graves pertimescens inordinationes, si eiusmodi deneget documentum, maxime periculum contractus mere civilis, humiliter exorat, quomodo hac in re se gerere debeat.

Feria IV, die 20 Iulii 1898.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab EE.mis et RR.mis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus Inquisitoribus, propositis suprascriptis precibus, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres rescribendum mandarunt:

Dummodo agatur de viris qui certo adstiterunt pugnae de Adua, et, peractis opportunis investigationibus, indubitanter dignosci nequeat an vir reapse mortuus ceciderit, attentis specialibus circumstantiis in casu exposito occurrentibus, et valida praesumptione obitus, Ordinarius permittere poterit transitum ad alias nuptias (1).

(1) Cum egregia Ephemeride « Monitore Ecclesiastico di Conversano (*n. 7. an. 1898*) » animadvertimus, Decretum istud esse generale, ut toties valeat, quoties superexpositus casus comprobetur. Praeterea aliud esse *permitti posse transitus ad alias nuptias*; aliud, *constare de obitu viri.* Primum

Feria vero VI. die 22 eiusdem mensis Iulii, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. O. impedite, facta de his omnibus SS.mo D. N. Leoni Div. Prov. Pp. XIII relatione, SS.mus resolutionem EE.morum Patrum adprobavit.

I. Can. MANCINI, *S. R. et U. Inquisit. Not.*

E SACRA CONGREGATIONE

NEGOTIIS ECCLESIASTICIS EXTRAORDINARIIS PRAEPOSITA.

Ex Audientia Sanctissimi

die 16 Augusti 1898.

Ex parte nonnullorum Antistitum Coloniarium maris Antillarum, propositum fuit dubium de vigore, in territorio suae iurisdictioni subiecto, literarum Apostolicarum « *Trans Oceanum* » a SS. D.N. Leone PP. XIII die 18 Ap. 1897 editarum. Eadem Sanctitas Sua, referente me infrascripto S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae Secretario, declarandum esse censuit: Praefatas Litteras Apostolicas « *Trans Oceanum* » vigorem habere in omnibus Antillis et caeteris Insulis maris Caraibici, cuicumque civili ditioni subiiciantur. Et ita Sanctitas Sua publicari et servari mandavit, contrariis minime obtuturis.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die mense et anno praedictis.

FELIX CAVAGNIS *Secr.*

---

rescriptum datur, cum de obitu coniugis magna habetur probabilitas, non vero absoluta certitudo: alterum datur cum revera dicta absoluta certitudo habetur. Itaque in casu primi rescripti, attentis momentis omnino singularibus, permittitur transitus ad alias nuptias, implicita nihilominus semper supposita conditione statim derelinquendi coniugem alterum ad primumque redeundi, vix ut certa habeatur notitia, suppositum mortuum adhuc vivere.

IMPRIMATUR
P. Fr. Albertus Lepidi O. P.
S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR
Franciscus Cassetta Patriarch. Antioch. Vicesgerens.

Proprietas Literaria.

Romae, Typis Fratrum Amoroso, Piazza della Torretta Borghese N. 22-25.